Ex MS. Bibl. Radiv. Nesv.

Petrus tituli sancti Ciriaci in Thermis
præsbyter cardinalis Reginus legatus apo:
stolicus, Friderico tituli sanctæ Luciæ in se:
ptem soliis præsbytero cardinali archiepi:
scopo Gnesnensi et episcopo Cracoviensi.

86

Reverendissime in Christo pater et domine,
domine mi observandissime, humillimam com:
mendationem etc: Iverunt ad me literæ domi:
nationis vestræ reverendissimæ, quæ mihi pla:
rimum fuerunt gratæ, cum ex illis intelle:
xerim vestram reverendissimam dominationem
felicem et incolumem esse. De novi verò se:
renissimi regis electione comprobanda et lau
danda, videtur mihi esse sententia gravissi:
ma vestræ reverendissimæ dominationis, quæ
creationem istius regiæ maiestatis à divino
nutu Dei propendere sapienter affirmat. At
ego pro eo maximo incremento, quod ad istud
clarissimum regnum accessisse visum est, et
pro eo amplissimo generosissimæ familiæ stem:
mate, in quo plures reges refulsisse recensen:
tur, valde lætor. Et quamvis commiserim ora:
tori vestræ reverendissimæ dominationis, ut me:
is verbis excusationem meam indicaret isti
serenissimo regi; tamen confidens humani:
tati vestræ reverendissimæ dominationis, eam
oro, ut me meo nomine excusare velit apud
istam regiam maiestatem, si eius felicissimæ

coro:

coronationi interesse nequeo, ut quem debeo honorem prestassem sue serenissime maiestati, quoniam nunquam potui quidquam certi percipere neque de adventu faustissimo sue serenissime maiestatis in istud vestrum, neque de statuto die coronationis celebrande, quem licet hodie acceperim, nihilominus considerato brevi temporis spatio, non est mihi visum posse commode et in tempore isthuc me conferre, ostenderemque valitem in presens maximam congratulationem meam meis per literas, nisi sperarem me brevi coram congratulaturum ex corde sue serenissime maiestati, quam summum, et verum omnium rectorem Deum, ex sua in populum christianum immensa clementia, fovere et inspirare dignetur ad omne salutiferum opus, quod invicti vro regno augmentum, et gloriam, christianeque reipublice fructum et honorem pariat.

De negotio autem pecuniarum Jubilei vestra reverendissima dominatio nimis tepide scripsisse mihi visa est, que aut dissimulat, aut mea verba recordari non videtur, quum ego binis et tenuis literis, et quibus debui precibus, et animi fervore petierim à dominatione vestra reverendissima, ut illa dignaretur mihi significare, cuius authoritate et permissu illa pecunia Jubilei ablate sint, et literas isthuc missas, quarum vigore

pecunia

pecuniæ fuerunt exemplæ, ad me quoque vel-
let mittere, at dominatio vestra reverendissima
mihi rescripsit, et nullum fecit verbum de
eo, qui sit usus eiusmodi auctoritate, imo à
me petit, ut perquiram hic illas ipsas li-
teras, quas à vestra reverendissima domina-
tione poposci. Miror equidem quomodo id co-
herere queat, ut illud idem postulet à me
dominatio vestra reverendissima, quod ego ab
ea rogo. Videtur etiam absurdum, ut lite-
ræ quæ in Polonia esse debent, in Hunga-
ria pervestigentur, sed puto dominationem ve-
stram reverendissimam velle dissimulando ve-
ritatis cognitionem proferre in id longum tem-
pus, ut res oblivioni tradatur, quod utinam
ex suo voto succederet, quia tunc his ma-
ximis curis liberarer. Verum quidquid hac-
tenus per literas facti non latet dominatio-
nem vestram reverendissimam; curavi, id di-
manavit ex eo flagrantissimo animi af-
fectu, quo complector istam clarissimam
regiam domum, de qua uperem non pos-
se conqueri sanctissimum dominum no-
strum, ad quem hac de causa hucusque
nullas volui de huiusmodi negotio literas
dare, sed postquam vestra reverendissima do-
minatio nihil veri ad me rescribere digna-
ta est, et episcopus Calliensis iam ad ur-
bem est abiturus, feci de omnibus san-
ctissimum dominum nostrum certiorem, nè

mea

mea tantuvnitate sua sanctitas merito la-
mentari posset, vel quod prius ab aliis
ipsum negotium intelligeret. Quod autem
magnæ sint indignationis causæ, quibus
sanctissimus dominus noster comitaretur,
ad ecclesiasticas pecunias, quarum ipse
unicus est dominus et dispensator, vendi-
candas in illud saluberrimum opus, ad quod
fuerant destinatæ; ex his rationibus firmis-
simam conjecturam accipio, primò quod sua
sanctitas ante oculos habebit necessitatem
rei christianæ, quæ urgetur in præsentiarum
magno periculo. Secundò, ne alii principes
christiani sumant exemplum hoc non
laudabile, et audeant ecclesiasticas pecu-
nias capere invicta sua sanctitate. Tertiò,
quia intelligitur magna esse istorum po-
pulorum indignatio, qui persuasi à prædi-
catoribus pro sumenda sanctissima expedi-
tione in Thurcos, contribuerunt Jubileo de
fortunis eorum, quod potuerunt, ut illud
sanctum subsidium esset adversus rabiem
Turcorum convertendum, nunc verò cum vi-
dent eas pecunias pervenire ad eorum ma-
nus, qui eas in proprios usus converter
runt, clamant se deceptos esse, et quod
propterea nolunt amplius adhibere fidem
nuntiis apostolicis, nec quidquam decernunt
postea erogare pro Jubileo impetrando, ac per
hoc vilipendunt gratias apostolicas, quæ esse

deberent

deberent in magno desiderio et veneratione
in istis remotissimis partibus.' Remanent
item viri religiosi predicatores promulgare
iterum Jubileum in istis provinciis, quo-
niam dicunt se amisisse fidem in ea re,
nolleque propterea denuo circumveniri po-
pulum christianum, et mentiendi infamiæ
eam subire. Videat igitur vestra reverendis-
sima dominatio, quam magnum sit scan-
dalum exortum. Hæc omnia mihi significa-
cata sunt ex Prussia à gravissimis viris,
ex qua etiam provincia nuntiatum est fu-
isse omnes pecunias Jubilei exemptas per
literas dominationis vestræ reverendissimæ
ab eius suffraganeo. Itaque vestra reveren-
dissima dominatio sibi persuadeat, quod
sanctissimus dominus noster, ob eas quas
narravi rationes, id permoleste feret, et eo
magis succensebit, quod pernitiosum videtur
fore exemplum in posterum, quandoquidem
denegatur sanctum subsidium à populis chri-
stianis, et veneratio sedis apostolicæ vili-
penditur, ideoque sua sanctitas nihil omit-
tet, ut credo intentatum, quod ab ea fieri pos-
sit, quousque satisfactum esse sentiet honori
suæ sanctitatis et sedis apostolicæ, ac neces-
sitati reipublicæ christianæ. Quapropter rogo
dominationem vestram reverendissimam, ne su-
per hoc negligat rogationes et convilium me-
um, sed velit operam dare, ut quæcunque

repe-

reperiuntur ecclesiasticæ pecuniæ, tuto con-
servantur, quia forte erit opus ut repo-
nantur in capsulis unde abductæ sunt,
de cæteris verò quæ deessent, illud co-
gitare remedium suo gravi consilio di-
gnetur, ut vulnus appareat medicabile.
Sin autem, vereor nè id, quod prius
paucis poterat resarciri, postea pluri-
bus forte, plus quam credevetis non possit
instaurari, idque factum non video lau-
dandum in vacuo cardinalium senatu. Vo-
lui hæc supradicta ex eo studio et obser-
vantia, qua prosequor istam gloriosam
regiam domum, aperire, ut si quid conti-
gerit, hunc agnoscat vestra reverendissi-
ma dominatio me ex corde fuisse loqui-
tum, tamen ego semper pro virili conabor,
in his quæ ad honorem et commodum isti-
us serenissimæ maiestatis, et vestræ reve-
rendissimæ dominationis attinere digno-
scentur, præsto et propitius esse. Demum
si videbitur sapientissimo iudicio vestræ
reverendissimæ dominationis, ut has lite-
ras intelligeret ista serenissima maiestas,
id est in arbitrio vestræ reverendissimæ do-
minationis, cui me plurimum commendo,
illaque ut felicissime valeat, vehementer
opto. Ex Buda die decima septima No-
vembris, anno Domini millesimo quin-
gentesimo primo.